DISSERTATIO JVRIDICA,

DE LEGIBVS AD PRÆTERITA TRAHENDIS,

QVAM

DEO TER OPTIMO MAXIMO SECVNDANTE,



MAGNIFICO AMPLISSIMOQVE

JCTORVM ORDINE

IN INCLVTA AC PERANTIQVA ELECTORALI ACADEMIA ERFORDIENSI

CONCEDENTE,

SVB MODERAMINE

VIRI PRÆNOBILIS AC CONSVLTISSIMI

DN. RVDOLPHI CHRISTOPH. Henne,

PHILOSOPHIÆ AC JVRIS VTRIVSQVE DOCTORIS, NEC NON PROFESSORIS PVBLICI EXTRAORDINARII,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIT,

AVTOR

EVSEBIVS CHRISTIANVS ZINCKERNAGEL,

SAXO-GOTHANVS.

DIE XXIV. JVLII M DCC XXXVII.

IN AVDITORIO JVRIDICO COLLEGII MAJORIS H. C.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

Proœmium instituti rationem tradit.

§. I. *Legislatoriam potestatem præcipuum majestatis jus esse, tradit.*

§. II. *Solis subditis leges ferri, probat.*

§. III. *Demonstrat, leges ita ferendas esse a Principe, ut ab omnibus possint intelligi.*

§. IV. *De quibus rebus Princeps non possit leges ferre, explicat.*

§. V. *Leges ferendas esse de rebus sæpe accidentibus, proponit.*

§. VI. *De rebus impossibilibus leges ferri non posse, docet.*

§. VII. *Leges ferendas esse verbis dispositivis indicat.*

§. VIII. *Quod leges generaliter ferendæ sint, exponit.*

§. IX. *Leges regulariter futuris formam solum præscribere negotiis enarrat.*

§. X. *Principem tamen ex justis causis legem ad præterita trahere posse, admittit.*

§. XI. *Hoc tamen ita restringit, ne fiat in præjudicium tertii.*

§. XII. *Hanc ob causam probe a Principe ponderandas esse circumstantias, inculcat.*

§. XIII. *Principi non competere jus, leges pœnales ad præterita trahendi enarrat.*

§. XIV. *Principem in dubio nunquam præsumi, legem ad præterita trahere velle, comprobat.*

§. XV. *Justas causas, quare Prin-*

ceps

ceps possit leges ad præterita trahere, recenset.

§. XVI. *Legem de facto naturaliter turpi disponentem, ad præterita trahi, a Principe posse, concedit.*

§. XVII. *Exemplo hoc illustrat.*

§. XVIII. *Utilitatem publicam interdum flagitare, ut legislator legem ad præterita trahere debeat, continet, & exemplo hoc ipsum declarat.*

§. XIX. *Significat, ipsam interdum naturam rei postulare ut ad præterita lex trahatur, licet Princeps in lege de hoc non mentionem faciat, quod asseritur de lege annullatoria.*

§. XX. *Hoc exemplo dilucidius reddit.*

§. XXI. *Alio exemplo id ipsum confirmat.*

§. XXII. *Idem ostendit de Lege posteriori, prioris saltem declarativa.*

§. XXIII. *Exemplo hoc ob oculos ponit.*

§. XXIV. *Idem affirmat, si actus ante novæ legis promulgationem suscepti, facile rescindi possint, simulque illud exemplo corroborat.*

§. XXV. *Eandem sententiam fovet de lege priorem confirmante, & exemplum addit.*

§. XXVI. *Hanc opinionem etiam applicat ad legem novam, abusum veteris tollentem.*

§. XXVII. *Exemplo hoc confirmat.*

§. XXVIII. *Hoc etiam extendit ad leges revocatorias, & exemplis id patefacit.*

§. XXIX. *Alia quoque negotia præter leges dari, quæ ad præterita trahantur, commonstrat, ac exempla adducit.*

§. XXX. *Huic Dissertationi colophonem imponit.*

PRO-

PROŒMIUM.

APud omnes eſt in confeſſo, illorum qui ad elaboranda themata juridica animum inducunt, primariam curam eſſe debere, ut in electione non ad id ſolum reſpiciant, quod thema jucunditate ac utilitate commendat, ſed eo animum etiam advertant, ne crambem bis coctam recoquant, ac eo ipſo lectoribus nauſeam creent. Utrumque obſervare, quantum in viribus fuit, anniſus ſum; quod enim attinet utilitatem thematis præſentis, qui eam in dubium vocare velit, nemo erit, cum lippis & tonſoribus notum ſit, legum cognitionem, interpretationem, ac applicationem in jurisprudentia omne punctum ferre: ſæpius autem evenire ſolet, Leges a principe latas, non futuris ſolum, ſed & præteritis negotiis normam dare: quod ipſum vero quomodo, & ex quibus cau-

 ſis

ſis fiat, & fieri debeat, in diſſertatione præſenti oſtendetur, pro ingenii tenuitate. Deinde, quod ad ſelectum materiæ pertinet, nemo hucusque quod ſciam, fuit, qui in hac materia ex profeſſo elaboranda operam navaverit, licet me non fugiat, hinc inde autores quosdam caſuum nonnullorum huc pertinentium, mentionem injeciſſe, omiſſis tamen rationibus dubitandi & decidendi, & exemplis huc ſpectantibus. Operæ igitur pretium facturum & non iliada poſt HOMERVM me cantaturum putavi, ſi hanc rem penitius inſpiciam, eamque ſub incudem revocem, cauſas & rationes ex quibus leges ad præterita trahendæ ſint, tradendo, omniaque exemplis illuſtrando. Hanc ob cauſam eam legem in conſarcinando hoc labore mihi ipſi dixi, ut ante omnia oſtendam, quibus ex cauſis Princeps expreſſe poſſit legem ad præterita trahere, deinde etiam demonſtratos dem illos caſus, ubi ipſa natura rei hoc importat, ut lex ad præterita extendatur, licet in ipſa altum ſit de applicatione ad præterita ſilentium, ac utut legislator nec vola nec veſtigio mentionem hac de re fecerit. Si vero quibusdam ad palatum

non

non ſit elaboratio hujus thematis, illi eo minus excuſationem mihi denegabunt, quo magis elucent difficultates, quibus illud obnoxium eſt, illi vero quibus nihil arridet, ſed omnia virgula cenſoria perſtringunt, ſciant, illos ipſos nec mihi placere, nec me velle ut ipſis placeam, ipſis enim placuiſſe, eſt diſplicuiſſe. Deum vero T. O. M. ardentiſſimis imploro precibus, velit mihi in hoc negotio perficiendo gratia ſua divina aſſiſtere, veritatemque revelare, quo omnia feliciter & ex voto poſſint cedere.

§. I.

INter jura majeſtatica primarium, eumque maximum occupat locum, legum ferendarum poteſtas, fluit enim ea immediate ex natura majeſtatis, & idcirco ad eſſentialia ejus pertinet, non ad ea tantum, quæ Principi in ſignum eminentiæ relinquuntur, ſed etiam ad illa, ex quibus præcipue æſtimatur majeſtas, tanquam ejusdem character certiſſimus, recte ſtatuente CASPARO ZIEGLERO. a) Vti vero lex ferenda eſt ab eo, qui gaudet in republica ſummo imperio; b) ita in imperio noſtro Romano-Germanico leges univerſales valorem in ſingulis provinciis ejusdem habentes, conduntur ab Imperatore, adhibito conſenſu ſtatuum imperii, c) hinc prono fluit alveo, proceres imperii, vigore ſuperioritatis territorialis, ha-

bere jus legum ferendarum proprio iure, utut interdum ex pacto cum ſtatibus provincialibus inito, ad impetrandum illorum conſenſum obligati ſint, tradente HERTIO. d) Hæc, ſicuti extra omnem dubitationis aleam poſita ſunt, ita quoque condunt ſtatus imperii leges juri communi imperiique Receſſibus contrarias, quamvis ipſi ad obſervantiam Receſſuum vigore pacti teneantur, uti hoc probatum dederunt STRYCKIUS e) & THOMASIUS f) hinc porro ſequitur, magiſtratus in civitatibus municipalibus legislatoria poteſtate eſſe deſtitutos, licet nemo inficias ire poſſit, aliquando ſtatuta permiſſu Superioris ab illis condi, vel cum confirmatione, vel abſque confirmatione, prouti privilegium ipſis conceſſum illud permittit, probante STRUVIO. g) Denique etiam exinde ſequitur, opificia, collegia, & univerſitates, non poſſe condere ſtatuta, niſi de rebus, ad illorum profeſſionem, vel artem, vel univerſitatem pertinentibus, modo ſint concepta de rebus licitis, procul enim eſſe debent, mores collegiorum depravati ac inepti, docente BRUNNEMANNO h) & SCHWEDERO. i)

a) *De juribus majeſtatis lib. 1. c. 1. §. 1.*
b) *L. ult. C. de legibus & conſtitutionibus principum.*
c) *Artic. 8. §. gaudeant. inſtrumenti pacis Weſtphalicæ.*
d) *In diſſertatione de conſult. LL. & judic. ſpecial. Rom. Germ. Imp. rebuspubl. §. 3. ſeqq.*
e) *In uſu moderno ff. lib. 1. tit. 3. §. 6, 7. 8.*
f) *In diſſertatione de ſtatuum imperii poteſtate legislatoria contra jus commune.*
g) *Exercitat. ff. Exerc. 2. §. 24.*
h) *Ad l. fin. ff. de colleg. & corp.*

i) In

i) *In introductione ad jus publicum sect. 2. cap. 14. part. spec. §. 16.*

§. II.

Ex adductis, nisi omnis fallor, satis apparebit, legislatoriam potestatem habere illum, qui suprema in republica est instructus potestate. Quemadmodum vero suprema illa potestas, extra rempublicam unicuique Principi propriam, se non exserit; ita leges solis præscribantur subditis necesse est, siquidem forenses sive extranei legibus reipublicæ alienæ ordinarie non subjacent, conf. COCCEJI, a) STRYCKIVS, b) MEVIVS c) & HERTIVS, d) ex quibus non potest non sequi ipsum legislatorem non teneri legibus a se latis e) quod attinet regulas justitiæ, licet iis omnino obligetur ex regulis prudentiæ, f) cum omnes fere subditi soleant componere actiones ad exemplum Principis, hinc omnino Princeps prudenter facit, quando ad evitandum scandalum, ipse leges a se latas observat. Contingit etiam interdum, ut vi pacti Princeps ad leges proprias sit obligatus, quis enim est, quem fugiat? Imperatorem ex conventione ad leges publicas adstringi. vid. STRYCKIVS, g) Omnes vero subditi in republica legibus superioris tenentur, nisi aliqui possint exemtionem docere: modus vero, quo obligant leges, est diversus, dantur enim leges, quæ formam præscribunt actui cuidam, qua non adhibita actus est nullus, sic e. g. testamentum solenne absque adhibitione septem testium est nullum: vel lex solummodo facultatem rite & legitime aliquid faciendi indulget, v. g. pa-

 tri

tri familias testamenti factionem; tali igitur in casu arbitrio oniuscujusque est relictum, utrum hoc jure uti velit, nec ne: denique etiam dantur leges præcipientes, carentes tamen sanctione pœnali, quæ sunt impropriæ ac imperfectæ, ac potius pro consiliis habendæ.

a) *De potest. in territ. fund. tit. 2. §. 6. seqq.*
b) *In dissertatione de jure principis extra territorium cap. 3.*
c) *Ad jus Lubecense quæst. 4.*
d) *De collisione legum sect. 4.*
e) *L. 31. ff. de legibus SCtis & longa consuetudine.*
f) *L. 4. C. de legibus & constitutionibus principum.*
g) *In usu moderno ff. lib. 1. tit. 3. §. 9.*

§. III.

Principi quoque nihil prius nihilque antiquius esse debet, quam ut leges ita ferantur, ut ab omnibus illarum sensus possit cognosci, a) cum enim primarium legis requisitum sit sanctio pœnalis, hinc maximam saperet iniquitatem, quando aliquis pœna ob transgressionem legis coerceretur, & tamen legem nunquam intellexerit, hinc fit, ut nulla lex, sive sit divina, sive humana, obliget ante promulgationem, siquidem per promulgationem demum voluntas legislatoris patefit, ita ut ignorantiam juris nemo allegare possit. Hæc, sicuti extra omnem controversiæ aleam posita sunt, ita vix ac ne vix quidem in Imperio nostro Romano Germanico possunt applicari ad leges Romanas lingua peregrina literarum monumentis consignatas, quæ licet non ab omnibus possint intelligi, nihilominus obligant, sufficitque adesse peritos harum legum, toties ab imperitis

ritis consulendos, quoties ignorant illarum dispositionem, uti hoc erudite demonstrarunt JO. NIC. HERTIVS b) & JOHANNES LUDOVICUS PRASCHIVS c) exinde etiam factum est, ut jurium renunciationes in contractibus non valeant, nisi prævia certioratione, prouti docuit JOHANN SAMVEL STRYCK. d) Quo igitur unusquisque possit eo meliorem nancisci legis promulgatæ notitiam, haut abs re in legibus Romanis provisum est, ut post duos demum elapsos menses ignorantia juris amplius non excuset e) licet non inficias ire possim, scientem promulgationem legis ad illius observantiam statim teneri, nisi certum tempus legi sit additum, a quo obligatio demum initium capere debeat, f) hoc tamen albo notandum lapillo est, Recessus imperii Cameram Wezlariensem non obligare, ad sententias juxta illorum provisionem ferendas, antequam ipsi insinuatio facta est, docente BLVMIO g)

a) *Per l. 9. C. de legibus & constitutionibus principum*
b) *in dissertatione de consult. LL. & special. Rom. Germ. Imp. rebuspubl. §. 15.*
c) *de JCto vero & personato §. 17.*
d) *in dissertatione de certioration. jur. renunciand. cap. 1.*
e) *Nov. 66. cap. 1.*
f) *Reformat. polit. de anno 1577. tit. 18. in fine.*
g) *in processu Camerali tit. 2. §. 9.*

§. IV.

Licitum omnino esse legislatori, in rebus quæ divinis legibus non sunt determinatæ, potestatem suam exercere, illis, qui leviter saltem juris publici universalis principiis tincti sunt, non potest esse obscurum, ita, ut

ut etiam ex justa causa juri naturali aliquid addere vel detrahere possit, monente VLPIANO a) & HERTIO. b) Si vero aliquid jam ab ipso Deo tanquam supremo legislatore determinatum sit, nihil quicquam in eo immutando concessum est majestati humanæ, sed potius, si legislator officii sui partes explere velit, legem divinam non inter subditos solum custodire, sed ipse quoque eidem morem gerere debet, cum Deum tanquam superiorem suum omnino recognoscere debeat, quamvis nihilominus permissum sit Principi connivere, & permittere ea, quæ sine magno malo emendari nequeunt, & talem permissionem non injustam esse, quodanimodo præcipit naturalis ratio vid. SVTHOLT. c) & ZIEGLER. d) Dantur enim actus contra leges divinas suscepti, qui puniri nequeunt ab hominibus sine periculo majoris mali, illi igitur ut puniantur, ratio naturalis nonsolum non præcipit, sed potius suadet, ut quam diu periculum durat, tam diu maneant impuniti, ipsa etiam oracula divina hujus rei dilucida præbent testimonia, deprehendimus enim in illis talia negotia, quæ ex se & sua natura non sunt bona, permittuntur tamen in illis, non vero approbantur, præcavendi majoris mali causa, quorsum v. g. retulit legem de divortiis, Theologorum facile princeps, CHEMNITIVS. e)

a) *in l. 6. ff. de justitia & jure*
b) *de collisione legum sect. 3.*
c) *in dissertatione de jurisdictione n. 81.*
d) *in tractatu de juribus majestatis lib. 1. cap. 3. §. 58.*
e) *in loco de lege cap. 4.*

§. V.

§. V.

Princeps quoque eo curas suas adigat, ut ante omnia leges ferat de rebus sæpe accidentibus, a) quis enim est, quem fugiat, leges esse accommodandas statui rei publicæ & subditorum? ut mala rem publicam affligentia exstirpentur, antequam tam altas radices egerunt, ut difficiles exstirpatu sint. Si vero in una materia casus obveniant frequentes & rari, tunc regula formanda erit de casibus frequentioribus, siquidem regulæ numero superare debent exceptiones, ita e. g. ordinarie fœminæ lubrico sunt judicio, rarius vero accidit, ut sibi rebusque suis, eo quo decet modo sufficiant, hinc SCtum Vellejanum, id quod plurimum contingit, respexit, vid. STRYCKIUS b) sæpius quoque contingit, ut filii familias prodigalitatis sint studiosi, rarius vero, ut continentiæ operam navent, hinc SCtum Macedonianum pariter animadvertit illud, quod sæpius accidit. Et hæc sunt negotia, quæ in utramque partem eveniunt, in unam vero sæpius, in alteram autem rarius: dantur vero etiam casus, qui per se rari sunt, & frequentioribus non opponuntur, quos leges non solent negligere, quorsum v. g. spectat, quod insula in flumine nata ad illos pertineat, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo latitudinis cujusque fundi. c) Singulare etiam habemus exemplum in casu, ubi quis filium reliquit, & uxorem prægnantem, ubi filius quartam tantum portionem hæreditatis paternæ accipit, d) quia nasci possunt tergemini, qui casus ut ut forte inter rarissimos referen-

dus videatur, non tamen plane est hodie etiam incognitus, STRYCKIUS enim refert e) tale exemplum solenne de civitate Stralsundensi, ubi Anno 1672. a die 1 Januarii usque ad festum Paschatos trina vice hic casus contigit, ut tres infantes vivi uno partu editi fuerint, imo idem in pago ad civitatem Halensem pertinente suo tempore adhuc superstitem fuisse uxorem narrat, quae bina vice tres uno partu edidit liberos, ex quo apparet, legem hanc ad abrogatas non referendam esse, praesertim, quia levi incommodo afficitur filius, si enim non tot nascantur, residuum, & quicquid portioni suae adhuc defuit, cum fructibus interea perceptis capit. Contigit quoque hodie casus, de quo jus Romanum etiam disponit, f) ut nimirum si plures quam tres nascantur, decrescere debeat de portione reliquorum, portio quarti, Francofurti enim ad Viadrum uxor cujusdam militis uno partu quatuor filios edidit, referente STRYCKIO. g)

a) *l. 3. seqq. ff. de legibus SCtis & longa consuetudine*
b) *in notis ad Lauterbachium pag. m. 19, verbo saepe accidentes.*
c) *§. 22. Inst. de Rerum divisione.*
d) *in l. 3. ff. si pars hered. pet.*
e) *in usu moderno ff. lib. 5. tit. 4. §. 2.*
f) *in l. 4. ff. si pars hered. pet.*
g) *loc. supra citato.*

§. VI.

Ultra posse neminem obligari, communi circumfertur proverbio, legibus etiam probato a) hinc leges ferendae sunt de rebus possibilibus, nihilque interest,

utrum

utrum res quædam sit physice impossibilis, sive moraliter, cum æque impossibile sit bono viro, quod fieri non debet, ac quod fieri non potest, neque enim omnino possumus, quicquid honeste non possumus b) ROBERTVS SANDERSONIVS c) triplici modo rem impossibilem dici, refert 1) impossibilitate naturæ, quomodo impossibile est hominem volare, piscem loqui, 2) impossibilitate facti, quomodo impossibile est, Cajum hodie Londini commorantem, cras convenire posse Titium Venetiis 3) impossibilitate juris, quomodo illud dicitur impossibile alicui, ad quod non habet potestatem legitimam, de quo etiam illud intelligendum est, quod dici solet in legibus: id solum possumus, quod jure possumus, d) sic impossibile est rusticum alicui honores conferre posse. Pro impossibilibus habentur etiam leges conscientiæ vim inferentes, licet non physice, tamen moraliter. Quæ vero huc usque de rebus impossibilibus sunt adducta, non sunt ita intelligenda, quasi de impossibilibus lex non disponat, contrarium enim patet ex legibus nostris Romanis, e) ubi hæres sub impossibili conditione institutus, pro pure instituto habetur, sed quod ad impossibilia leges neminem obligent, nec obligare debeant. f)

a) *L. 185. ff. de Regulis juris*
b) *L. 15. ff. de condit. inst.*
c) *Tractatu de juram. obligat. prælect. 2. n. 12.*
d) *L. 15. ff. de condit. inst.*
e) §. *10. Inst. de hered. inst.*
f) *L. 185. ff. de Regulis juris.*

§. VII.

Leges quoque ferendæ ſunt verbis diſpoſitivis, ita ut verba aſſertiva vim legis non habeant, niſi per conſequentiam quandoque, hinc ſemper in interpretatione diſcernenda ſunt verba diſpoſitiva ab enunciativis: illuſtre ac ſolenne hujus rei habemus exemplum in vetuſtiſſima illa lege imperii Aurea Bulla dicta, ubi ſeptenarius numerus Electorum verbis enunciativis, non diſpoſitivis habetur, ita ut pariter vim legis non habeat hæc enuntiatio, quod etiam a poſteriori ſcimus, dum exploratum perſpectumque habemus, Octavum & Nonum Electoratum recentioribus temporibus acceſſiſſe, de quo vid. JAC. BRUNNEMANN. a) Ut igitur interpreti conſtet, utrum verba diſpoſitiva an enunciativa ſint, ante omnia antecedentia & conſequentia ſunt attendenda, quibus interjecta attemperari, atque reſpondere præſumuntur, & in genere, regulæ bonæ interpretationis hic omne punctum ferent.

a) *In diſſertatione de mutatione Aureæ Bullæ.*

§. VIII.

Quoniam autem conſtat, jura quasdam tantum perſonas reſpicientia, privilegia & jura ſingularia vocari, hinc leges generaliter conſtituendæ erunt, a) hoc modo, ut omnes in univerſum obligent ſubditos, licet omnino fieri poſſit, ut certæ perſonæ ſint occaſio legis generaliter poſtmodum obligantis: b) ſic certæ perſonæ anſam dederunt SCto Vellejano & Macedo-

niano,

niano, & si ex vero loqui volumus, & dicere quod res est, omnino fateri debemus, omnes fere leges originem suam inde traxisse, quod certæ personæ, hoc vel illud factum culpandum, ac pœna coercendum, commiserint, quamvis etiam sit verissimum omnes homines redarguens proverbium:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Deinde etiam constat, ex legibus digestorum de particulari casu loquentibus, generalia deduci posse axiomata, quæ vero ita debent esse comparata, ut sint æquitati & juri naturali convenientia, ac menti legislatoris non repugnantia, quoniam enim axiomata eruuntur ab interpretibus, hinc sponte sua sequitur, ipsos per illa non posse novum jus introducere, quod vero fieret, si axiomata legi naturali, ac voluntati legislatoris e diametro essent repugnantia.

a) *L. 8. ff. de legibus SCtis & longa consuetudine.*
b) *L. fin. C. de legibus & constitutionibus principum.*

§. IX.

Expeditum quoque est, leges & constitutiones noviter promulgatas, futuris formam præscribere negotiis, hinc ad præterita regulariter non sunt trahendæ, a) vid. RICHTER, b) quantumvis verbum aliquod ambiguum appositum sit, veluti si lex ita loquatur: *si quis fuerit*, tradente PERETZ. c) Quoniam res quæ culpa caret, damnum afferre non debet, ideo cum ante constitutionem quis non sit in culpa per

contraventionem alicujus legis, sic non debet damnum pati in actibus præteritis, per constitutionem postea subsecutam, d) hocque eo magis in pœnalibus obtinet, cum hujusmodi leges odiosæ sint, & non extendendæ propterea, sed restringendæ sint, e) in irrogandis enim pœnis non spectatur conditio delinquentis quæ nunc est, cum sententia fertur, sed quæ fuit cum delinqueret, vid. KNIPSCHILD, f) cum de natura novæ legis & statuti sit, de futuris disponere, non autem de præteritis, monente COLERO. g)

a) *L. 7. C. de legibus.*

b) *Decis. 4. n. 18. & 19. ubi præjudicia facultatis juridicæ Jenensis refert.*

c) *In commentario ad legem modo allegatam.*

d) *Cap. 2. X. de constitutionibus.*

e) *Cap. diu. de Regulis juris in 6to, l. 42. ff. de pœnis, l. 155. §. fin. ff. de Reg. juris.*

f) *De privilegiis civitat. imperial. lib. 2. cap. 3. num. 83.*

g) *De processu execut. part. 1. cap. 10. n. 102.*

§. X.

Uti vero nulla fere datur regula, quæ exceptionem non admittat, ita etiam minime putandum est, leges novas sic sanciri non posse, ut præteritis negotiis nec amplius pendentibus formam præscribant. Primus casus, qui huc referri potest, est, si in lege vel statuto Princeps expresse mentionem faciat præteritorum atque pendentium negotiorum. a) Cum enim humana societas post lapsum protoplastorum ejusmodi inquinata sit nævis, ut sine legibus con-

conſervari, & ad finem a Deo ipſi propoſitum pervenire nequeat, hinc Principi omnino vigore officii, quo ſalus reipublicæ ipſi ſuprema lex eſſe debet, incumbit, ut leges accommodatas ſtatui reipublicæ ferat, hinc etiam fieri poteſt, ut eadem ſalus reipublicæ poſtulet, ut leges ad præterita quoque trahendæ ſint negotia: hoc vero tam crude minime eſt accipiendum, ac ſi Princeps pro lubitu, vel ex arbitrio ſuo leges ad præterita trahere poſſit, ſed juſtæ debent adeſſe cauſæ, quando Princeps legem ad præterita extendere debet, hinc juſtas has cauſas enarrare, me operæ factorum pretium puto, quod fiet ſi oſtendam, quomodo Princeps verſari debeat, circa leges ad præterita trahendas.

a) *L. 7. C. de Legibus & conſtitutionibus principum.*

§. XI.

Ante omnia vero princeps reſpiciat, ne, quando legem fert præterita quoque complectentem negotia, in præjudicium tertii hoc faciat, princeps enim uti ſalutem reipublicæ eo quo fieri poteſt modo promovere debet, ſalus vero reipublicæ dependet a ſalute ſingulorum, ita illum quoque oportet, hoc modo nemini injuriam inferre, quod vero contingeret, quando alicui noceret Lex citra ipſius culpam, ac damnum inferret, quod nullo modo a ſubdito evitari potuiſſet, ſic e. g. inique faceret princeps, ſi legem ferret ut imposterum nullus contractus emtionis venditionis ſit validus, niſi in ſolenne inſtrumentum redactus fuerit, ita ut omnes contractus etiam ante hanc legem celebrati

brati absque solenni instrumento, invalidi declarentur, hoc æquitati naturali repugnare, quis est qui non videat? cum enim hucusque de substantia hujus contractus instrumentum non fuerit, sed absque vitio nullitatis omitti potuerit, maxime certe afficerentur injuria illi, qui solo consensu celebrarunt emtionem venditionem, quis enim quæso subditorum & contrahentium vaticinari potuit, Principem post aliquot annos elapsos, esse legem laturum, talem contractum annullaturam, supra vero jam fuit ostensum, de substantia legis esse promulgationem, hinc etiam nemini præjudicare debet illud, quod ante promulgationem est susceptum, præsertim cum in casu de emtione venditione modo adducto, hucusque validus ac licitus fuerit hic contractus, utut in scripturam ac solenne instrumentum minime fuerit redactus, ex quibus unicuique facile constabit, Principem non recte facere, quando legem ad talia præterita negotia trahit, quæ hucusque pro validis ac firmis ab uno quovis habita fuerunt, & ad talia, quæ non nisi cum maximo damno, incommodo ac injuria subditorum rescindi possunt, & denique si talis lex sit, de qua tempore suscepti negotii ne quidem cogitatum fuit, nec cogitari potuit.

§. XII.

Facili igitur nunc constat negotio, probe esse ponderandas a Principe circumstantias, antequam ad præterita legem noviter latam trahat, ne legem ceteroquin justam per retrotractionem ad præterita reddat

dat injuſtam. Ejusmodi farinæ legem in jure noſtro Romano a) deprehendimus, ubi juribus religioſiſſimorum locorum & eccleſiarum non præſcriptionem longiſſimi temporis, ſed centenariam ſolum opponendam eſſe diſponitur, ita, ut hoc non in futuris ſolum, ſed & præteritis, pendentibusque litibus & cauſis obtinere debeat, quæ conſtitutio in hypotheſi vix ac ne vix quidem ab iniquitate vindicari poteſt, prouti illius iniquitatem ex profeſſo docuerunt PROCOPIVS b) & STRAVCHIVS. c) Hoc igitur modo abuti Principem poteſtate legislatoria, tam certum eſt, quam quod certiſſimum, cum lippis & tonſoribus notum ſit, leges ita eſſe ferendas, ne alteri jus quæſitum auferatur, jus enim ſemel ſubditis quæſitum, tam firmo ſtat talo, ut ne a Principe quidem illud auferri poſſit teſte MEVIO, d) in lege vero ſupra adducta, illi, qui jamdum ex præſcriptione longiſſimi temporis huc usque in rebus Eccleſiaſticis & Religioſis obtinente jus quæſitum nacti fuerunt, hoc jure iterum privantur, dum lex ad præterita pendentia negotia quoque retrotrahitur.

a) *L. 23. C. de ſacroſanct. eccleſ.*
b) *In ſuis Anecdotis.*
c) *In diſſertatione Irnerius non errans cap. 5.*
d) *Part. 2. deciſ. 56. n. 1.*

§. XIII.

Porro ex fundamento ſupra poſito colligitur, Principem non poſſe legem pœnalem ad præterita trahe-

C re,

re, si nimirum lex illa pœna afficiendum factum præcipiat, quod huc usque licitum ac saltim impunitum fuit, vel quidem pœna in illud statuta fuit, sed non tanta, quantam nova lex irrogat, v.g. quando Princeps pœnam carceris illis irrogare velit, qui ebrietati student, ita, ut etiam isti hac pœna afficiendi sint, qui ante hanc legem noviter latam ebrietati dediti fuerunt, hoc omnino repugnaret æquitati naturali, huc usque enim ebrietas non habita fuit pro re prohibita, ac speciali pœna coercenda, & per consequens illi, qui huic vitio inescati fuerunt, illam pœnam præsagire non potuerunt, ut illud cane pejus & angue abhorruerint, pœna vero definiente GROTIO a) debet esse malum passionis, quod infligitur ob malum actionis, hucusque vero ebrietas pro malo actionis saltem quoad effectum pœnæ ob illam irrogandæ non habita fuit, in republica enim civili nihil pro turpi facto aut pro malo actionis habendum est, nisi quod est prohibitum & sanctione pœnali munitum, licet me non fugiat, aliter rem se habere de jure naturali. Ulterius etiam leges pœnales a Principe in tali casu ad præterita trahi non possunt, ubi quidem huc usque factum fuit turpe in republica habitum, ac etiam pœna coercitum, sed non tali, quali nunc illud noviter ex justa causa a legislatore puniendum sancitur, sic e.g. ponamus casum adulterium huc usque pœna relegationis vel fustigationis fuisse coercitum, Princeps vero videns hanc pœnam nondum esse sufficientem ad impediendam frequentiam adulteriorum, pœnam capitalem gladii irrogaret, ab adulteribus & adulteris subeun-

eundam, ita, ut etiam illi qui ante hanc legem nuper demum exasperatam, adulterium commiserunt, eadem pœna gladii essent coercendi, quis est qui non videat iniquitatem ejusmodi legis? cum pœnæ eapropter delictis imponantur, ut delinquentes illarum gravitatem ponderantes, eo magis illa reformident, quomodo vero possunt illa reformidare, quando ne quidem pœnam cognitam ac perspectam habuerunt, & licet in casu modo proposito sciverint pœnam relegationis, nondum tamen tantam formidinem sibi formare potuerunt, quantam pœna gladii solet excitare, cum constet nihil esse homini acceptius vitæ conservatione.

a) *In jure belli & pacis libr. 2. cap. 20. §. 1.*

§. XIV.

Deinde quoque nunquam præsumitur in dubio, Principem voluisse, ut lex modo lata ad præterita retrotrahatur, supra enim satis superque demonstratum dedi, retrotractionem legum ad præterita, pertinere ad exceptiones a regula, cum regulariter leges tantum de futuris negotiis ferantur, constat vero exceptionem nunquam præsumi, sed ab allegante esse probandam, ita ut si in nova constitutione de præteritis expresse & nominatim non caveatur, ad præterita nunquam sit trahenda a) cum in dubio legislator de lite jam pendente cogitasse non præsumatur, nisi nominatim illius fecerit mentionem, probante BERLICHIO b) & multo minus de lite jam per senten-

tiam decisa & finita, licet in appellationis instantia correctio sententiæ speretur, ut tradit CUJACIUS c) ita ut quamvis lex nova expresse dicat, quod etiam servanda sit in causis pendentibus & futuris, non tamen habeat locum in causis ante legem promulgatam decisis, & adhuc pendentibus per viam appellationis vid. COLERUS d) quia quamvis pendeat appellatio, causa tamen per primam sententiam reperitur decisa, & ideo ad decisam lex nunquam extenditur, nisi fiat mentio specialis, de quo conf. BERLICHIUS. e)

a) *L. 7. C. de legibus & const. Princip.*
b) *Decisione 159.*
c) *in Nov. 113. vers. quib. si locus non est.*
d) *de Processu executivo part. 1. cap. 10. num. 102.*
e) *Decis. 159. num. 10. seqq. ubi præjudicium Scabinatus Lipsiensis d. 11. Febr. 1625. in causa* Hans Heinrichs von Sohlhausen zu Riesdorff, *contra* Moritz Hauboldten von Schönberg *assert.*

§. XV.

Tunc igitur solum Princeps habet justas causas legem ad præterita trahendi, quando urgente necessitate, ac salute reipublicæ postulante hoc facit, & hanc ob causam est illi cavendum, ne sua qua pollet potestate abutatur, uti enim in omnibus rebus & negotiis, nisi modus observetur, facile excessus fiunt, ita & hic, quando Princeps indistincte idem jus in præteritis observandum vult, quod in futuris obtinere debet, facile contra suum officium peccare potest, deinde & negotia, quibus leges formam præscribunt, pro-

be

be ſunt attendenda, antequam ad præterita trahantur; prouti enim majoris momenti atque ponderis eſt negotium, quod lex concernit, eo graviores quoque, ſi ad præterita trahenda eſt, cauſæ requiruntur, in iis vero negotiis, quæ levioris momenti ſunt, leviores quoque cauſæ urgentes legis ad præterita retrotractionem ſufficiunt. In tali caſu juſta adeſt cauſa, impellens Principem, ut legem ad præterita trahere poſſit, quando negotium ſuſceptum ex ſe & ſua natura eſt invalidum, licet hucusque non fuerit prohibitum, ſed licite ſuſceptum: hujus rei exemplum deprehendimus in conſuetudinibus noſtris feudalibus, a) ubi Imperator FRIDERICVS per conſtitutionem latam ſancit, ut non ſolum in poſterum feuda ſine Dominorum conſenſu alienari nequeant, ſed prius quoque alienata revocari debeant, adeoque ad præteritas quoque alienationes ſuam extendit conſtitutionem, easdemque invalidas declarat, quod æquitati naturali repugnare, nemo erit, qui aſſeret, qui enim æqua lance judicii perpendit, neminem poſſe rem alienare, niſi in qua dominium plenum & perfectum habet, a ſe impetrare non poterit, ut credat, aliquid iniqui in hac reperiri conſtitutione: jam vero unicuique, qui tantum ut canis e Nilo juris feudalis principiis imbutus eſt, conſtat, vaſallum tantum habere unam partem dominii, utile nimirum, alteram partem vero, directum dominium nempe, habere Dominum, ex quibus non poteſt ſequi non, ad alienationem utriusque conſenſum eſſe neceſſarium, quia neuter dominium plenum habet.

a) *in cap. un. 2. Feud. 55. verſ. nos autem.*

§. XVI.

Secundus casus, ubi leges ad præterita trahi possunt, tradente BOEHMERO a) est, si lex disponat de facto naturaliter turpi. Quid vero turpitudo naturalis sit, & in quo consistat, paulo altius erit repetendum. In genere eam definiendam existimo, per actionem legi naturali contrariam in alterius præjudicium susceptam. Notanter autem dixi in definitione, actionem æquitati naturali repugnantem debere esse susceptam in alterius damnum, seu præjudicium; si enim damnum alteri per factum naturaliter turpe non inferatur, fieri non potest, ut lex ad præterlapsa negotia trahatur, siquidem in tali casu, ubi turpitudo in solo agente ac committente est, ac in ipsius solum præjudicium vergit, revera legis ad peracta jamdum retrotractio nullius esset efficaciæ, cum trito circumferatur adagio, factum infectum fieri nequit, sic v. g. fingamus aliquem fuisse prodigum & sui juris, ac sua ipsius bona dissipasse, ita ut nemini eo ipso nocuisset, deinde vero lex feratur, ut omnia per prodigalitatem dissipata tam præterita quam futura revocentur, quis est qui non videat ejusmodi legis inconcinnitatem? cum illud, quod semel fuit absumtum, restitui ac recuperari nequeat, dum non constat, quis bona dissipata acquisiverit, vel etiam si constaret, nesciverunt tamen acquirentes ipsum fuisse prodigum, quia nondum fuit pro tali a magistratu declaratus, & per consequens ipsis nihil imputari potest, cum omni culpa ac dolo vacaverint, ex quibus luce meridiana clarius elucescit

cefcit veritas fupra evicti ac ftabiliti principii, leges debere effe conceptas de rebus poffibilibus, quod uti in genere firmo ftat talo, ita etiam in legibus ad præterita trahendis obtinet, fiquidem nemo ultra poffe poteft obligari. In alia omnia vero tunc eundum erit, fi factum naturaliter turpe tendat in tertii cujusdam præjudicium, ita ut ejusmodi facto naturaliter turpi illi damnum inferatur, tunc enim talis actus poteft refcindi ac annullari, cum naturali æquitati confentaneum fit, neminem cum alterius damno debere locupletari.

a) *in introductione ad jus ff. lib. 1. tit. 3. §. 14.*

§. XVII.

Exemplum hujus turpitudinis naturalis tertio damnum inferentis, etiam in jure noftro Romano deprehendimus a) in pacto legis commifforiæ. Eft vero lex commifforia in pignoribus tale pactum, cum creditor pecuniam credit ea lege, ac fub ea conditione, ut fi debita pecunia certo die non reddatur, pignus fuum fiat, licet vero multi fint, qui ftatuant, hoc pactum licitum effe, quia cuilibet licet de re fua ftatuere, quod vult, b) ac volenti non fit injuria, aliter tamen ftatuendum effe, illi quibus ex meliori luto præcordia Titan finxit, probe intelligunt, in animum revocantes, debitores plerosque, fi non omnes, inopia preffos, quæcunque pacta, iniquiffimas conditiones continentia, facile folere inire, ut folummodo pecuniam ipfis tantopere neceffariam a creditore accipiant, deinde etiam regulariter, ac ut plurimum

pignus,

pignus, quantitatem pecuniæ creditæ longe ſuperat, ſi igitur pecunia debita, die ſtatuto non reddatur, creditor cum maximo damno debitoris locupletior fieret, quod omnino e diametro æquitati naturali repugnat, & ſic lex commiſſoria, prouti natura uniuscujusque legis eſt, disponit de caſu ac re utplurimum contingente, regulariter enim acut plurimum ſuperat pignus quantitatem pecuniæ creditæ, ac ordinarie etiam omnes debitores inopia preſſi ſunt, & ſic optime fecit imperator CONSTANTINVS c) legem commiſſoriam in pignoratitio contractu, ad præteritas tales conventiones iniquiſſimas ac continentes turpitudinem naturalem cum alterius damno, trahendo, ac præterita quoque talia pacta reſcindendo, quod etiam in aliis rebus naturaliter turpibus, ac in alicujus tertii præjudicium peractis, procedere tantum abeſt, ut negem, quantum abeſt, ut hoc modo damnum alicui inferatur, ſibi ipſi enim imputet ille, qui lucrum ex tali turpi pacto quæſivit, quod illud iniverit, cum illius iniquitas tam clara ac perſpicua ſit, ut qui illam negare velit, ſoli lucem deeſſe affirmare videatur, hoc vero adhuc notandum eſt, quod licet lex de facto naturaliter turpi disponat, tamen ad præterita negotia recte monente Gloſſa d) trahi non poſſit, niſi hoc expreſſe in lege contineatur.

a) *lib. 8. C. tit. 35.*

b) *L. in re mandata C. 21. mandati vel contra.*

c) *In l. 3. C. de pactis pignorum, & de lege commiſſoria in pignoribus reſcindenda.*

d) *In commentario ad l. 3. C. de pactis pignorum, ubi provocat ad l. 7. C. de legibus.*

§. XVIII.

§ XVIII.

Tertius casus, ubi leges ad præterita trahi possunt, ex sententia BOEHMERI a) est, quando ratio utilitatis publicæ id suadet, ita, ut nullum fere aliud remedium salutis publicæ conservandæ supersit. Uti igitur in tali casu necessitas caret lege, ita etiam multa licite fieri possunt, quæ alias cessante hac necessitate omnino illicita forent. Princeps igitur, & qui in republica summa pollet potestate, hac facultate extra omnem controversiam gaudet, ut, si videat, saluti & utilitati reipublicæ aliter consuli non posse, nisi eadem sit præteritorum, quæ futurorum ratio, leges ad præterita trahi jubeat, cum supra jamdum adductum fuerit; salutem reipublicæ Principi supremam esse debere legem. Illustre hujus casus exemplum, in legibus fundamentalibus imperii nostri Romano-Germanici deprehendimus b) in anno decretorio, qui pro norma restitutionis in ecclesiasticis, & quæ intuitu eorum in politicis mutata sunt, positus est, scilicet, terminus a quo hujus restitutionis est dies primus Januarii 1624. ita ut restitutio facienda sit, secundum hunc diem & annum, omnium Electorum, Principum, & statuum utriusque religionis, comprehensa libera imperii nobilitate, ut & communitatibus & pagis immediatis plenarie & pure, cassatis omnibus interim in istiusmodi causis latis, publicatis & institutis sententiis, decretis, transactionibus, pactis dedititiis, seu aliis, & executionibus, reductione ad statum dicti anni dieique in omnibus facta. conf. HENNIGES. c) Postquam enim Germania nostra calamitatibus per 30. annos

durantis belli fere erat exhausta, ac utriusque religionis consortes nil magis in votis habebant, quam ut ipsis pace, qua tam diu caruerant, iterum frui liceat, bellum vero ob occupata ab Evangelicis bona ecclesiastica ac templa potissimum erat susceptum, tunc aliter Germaniæ non erat consulendum, nisi terminus quidam ad quem omnia essent restituenda, poneretur. Evangelici prætendebant omnia in statum Anni 1618. ex quo bellum initium ceperat, esse restituenda, Catholici vero reclamabant huic prætensioni, urgentes restitutionem secundum annum 1630. quo Sueci in Germaniam irruperant, tandem media via placuit, ac annus 1624. hujusque dies primus, pro termino restitutionis fuit electus. Et hanc ob causam factum est, ut lex hæc fundamentalis præterita negotia expresse respiciat, illisque formam præscribat, ex duobus nimirum malis minus pro salute reipublicæ erat eligendum, aut enim totalis ruina reipublicæ nostræ erat permittenda, aut pax sancienda, pax vero nunquam obtineri vel saltim raro potest, nisi aliquid de jure remittatur. Concurrentibus igitur ejusmodi circumstantiis iisdemque rationibus, pariter legem ad præterita negotia retrotrahi posse, eo minus dubii habet, quo magis constat, reipublicæ conservatione Principi nihil debere esse prius, nihilque antiquius.

a) *In introductione ad jus ff. lib. 1. tit. 3. §. 14. pag. 25.*
b) *In instrumento pacis art. 5. §. 2.*
c) *In meditationibus ad instrumentum pacis art. 5. §. 2.*

§. XIX.

§. XIX.

Huc usque ostendi, quantum instituti ratio permisit, quando, & ex quibus causis Princeps expresse legem ad præterita trahere possit negotia. Nunc erit demonstrandum, nonnunquam etiam ipsam naturam legis ita esse comparatam, ut licet in ipsa lege non mentio fiat præteritorum negotiorum, ita ut nec vola nec vestigium de hoc inibi reperiatur, nihilominus tamen præteritos quoque respiciat actus, quorsum nunc tanquam quartum casum refero, tradente SCHNOBELIO, a) quando lex annullando procedit: annullat vero lex actum quendam, quando invalidum illum declarat, ita, ut licet susceptus sit, tamen pro non suscepto habeatur, nullam vim, nullam efficaciam atque obligationem illi concedendo, legis igitur ejusmodi annullantis naturam sic esse comparatam, ut debeat ad præteritos actus trahi, exinde luce meridiana clarius elucescit, quod, quando ex opposito consideramus, legem prohibentem, animadvertamus, illam, nullum negotium jamdum peractum invalidum reddere, sed potius ex se & sua natura negotia contra talem legem latam ex post commissa, ipso jure nulla sunt, ita ut ne quidem declaratio nullitatis opus sit: econtra vero lex annullans revera esset frustranea, nisi præterita respiceret negotia, illisque efficaciam adimat, siquidem, quando futura respiceret, esset lex prohibens, non annullans, cum toto cœlo differant, lex annullans & prohibens, uti hoc illis, qui tantum primas doctrinæ moralis & jurisprudentiæ naturalis duxerunt lineas, satis superque

que conſtat. Vtut verò ipſa indoles legis annullantis hoc importet, ut ad præterita applicetur negotia, licet expreſſe hoc in illa non contineatur, nihilominus tamen Princeps & hic ſibi cavere debet, ne in ferenda tali lege annullatoria fines officii ſui excedat, quod certe contingeret, legem annullatoriam ferendo, de eiusmodi rebus, quæ nullam neque injuſtitiam, neque turpitudinem continent, ſed æquitati atque juſtitiæ quam optime ſunt conformes.

a) *In diſſertationibus ad ff. diſſert.* I. §. 18.

§. XX.

Haut abs re erit, ſi caſum hunc uno alterove exemplo ex jure Romano petito illuſtrem, talem ſiquidem legem annullatoriam tulit imperator JVSTINIANVS, a) quando pacta de dividenda & communicanda hæreditate alicujus tertii adhuc viventis, nulla eſſe jubet, quoniam incivile eſt, viventis hominis bona in ſortem & diviſionem vocare, & ita quaſi ejus mortem voto ac ſpe præcipere, ex quibus non poteſt ſequi non, hanc diſpoſitionem imperatoris JVSTINIANI ſolum locum habere inter illos, ad quos jure cognationis alias perventura erat hæreditas, cui ſententiæ etiam ſubſcribit BRVNNEMANN, b) vel etiam inter eos, quibus ab extraneo facta eſt ſpes ſucceſſionis; ſi enim nullam haberent ſpem ſucceſſionis, quomodo de ſucceſſione paciſci poſſint, ſcio cum ignariſſimis c) cum privatio præſupponat habitum, & in eum qui non habet ſpem ſucceſſionis, non cadat pœ-

na

na privationis successionis, pactum enim hoc successorium adeo illicitum erat, ut portio paciscentis ad fiscum deferatur, d) nisi tertius ille, de cujus hæreditate paciscuntur, consentiat, & in voluntate sua perseveret, quia ille consensus tollit votum captandæ mortis, probante CARPZOVIO, e) de quo voto captandæ mortis venuste canit OVIDIVS. f)

Filius ante diem patrios inquirit in annos.

Primaria ratio, quare hoc pactum apud Romanos fuerit prohibitum ac nullum declaratum, est naturalis turpitudo, quam semper habere creditur, bonisque moribus adversari dicitur, si tertio ignoranti fiat; g) votum vero captandæ mortis non per se, sed tantum tanquam consequens illius turpitudinis attenditur, nec adeo fundamentum decisionis constituit primario, & multis casibus plane abesse potest, turpitudine pacti nihilo secius manente. h) Licet antem Germani non ita insidias vitæ struxerint illis, quorum hæreditatem exspectabant, ita ut votum captandæ mortis apud illos cesset, attamen Principalis ratio imperatoris JVSTINIANI etiam ad illos quadrat, ex quo etiam factum est, ut pacta de tertii ejusdemque certi hereditate, non hodierno magis quam civile jure subsistant, quando ille vel non consentit, vel consensum revocat ante mortem, & ita responsum esse a Facultate juridica Wittebergensi, refert BERGERVS, i) cetera vero pacta successoria, quæ non ita sunt comparata, universali Germaniæ consuetudine subsistunt, & non inter illustres solum, sed etiam inter privatos provali-

 dis

dis pronunciantur, docente WERNHERO k) & LEYSERO, l) ex hisce nunc facile constabit, quomodo actus vel negotium, quod lex annullat debeat esse comparatum.

a) *L. fin. C. de pactis.*
b) *In commentario ad l. fin. C. de pactis.*
c) *Cum hoc ipsum clare in lege cit. requiratur.*
d) *L. 30. ff. de donat. & l. 2. §. ult. ff. de his quæ ut indignis.*
e) *Part. 2. const. 35. Def. 19.*
f) *Lib. 1. Metamorphos. vers. 148.*
g) *L. fin. C. de pactis vers. secundum veteres.*
h) *L. 29. §. ult. ff. de donat. & l. 2. & 5. ff. de his quæ ut indign.*
i) *In œconomia juris lib. 2. tit. 4. §. 48. not. 1.*
k) *Vol. 5. part. 7. obs. 145. pag. 288.*
l) *In meditationibus ad pandectas vol. 6. specim. 736. meditat. 17. pag. 387.*

§. XXI.

Aliud exemplum ejusmodi legis annullatoriæ præbet Imperator ZENO, a) quando annullat nuptias cum fratris prædefuncti uxore contractas. Quanquam autem me non lateat lege MOSIS jussum olim fuisse fratrem, ad ducendam fratris prædefuncti uxorem, quæ nondum liberos procreaverat, b) attamen quis est quem fugiat, rationem tunc temporis pro hoc matrimonio militantem, hodie cessare? allegant nimirum pro ratione Theologi, quare hoc matrimonium concessum fuerit, quod tunc temporis fideles magno flagraverint desiderio, de Messia ex stirpe eorum

rum progenerando, multumque juvaverit, ne deleatur nomen defuncti ex stirpe ISRAELIS, hinc etiam ipsos interfuisse, ne frater aliquis decederet, stirpe non relicta, hodie vero cessante ratione hac, omnino etiam cessare debet concessio ista, ob hanc specialem rationem facta, ita ut quod tunc temporis licitum fuit, hodie pro turpi habeatur, fusius disquirit in hanc divinam constitutionem, super ducenda defuncti fratris uxore, JACOBUS PERIZONIUS. c) Ex eadem quoque ratione polygamiam Patriarchis veteris testamenti permissam fuisse, asserunt, quæ vero ratio utrum stringens sit, ipsis dijudicandum relinquo, licet omnino hanc pro veriori habeam, illam permissam fuisse, ob multiplicandum genus humanum, prope ad incitas redactum, hodie vero Polygamia pariter pro turpi ac illicita habetur, ob cessantes has rationes. Hanc ob causam optime fecit Imperator ZENO matrimonia cum præ defuncti fratris uxore contracta, absolute annullando, & præterita hoc ipso rescindendo, ita, ut licet quidam Aegyptiorum id circo mortuorum fratrum uxores duxerint, quod ea imbuti fuerint opinione, post fratrum mortem tales uxores virgines mansisse, quoniam corpore non convenerint, hinc nuptias re nondum esse contractas, hanc tamen rationem spreverit, ac nuptias nullas declaraverit. Eo minus autem est, ut hæc opinio Aegyptiorum aliquem in admirationem rapiat, quo magis teste GOTHOFREDO d) constat, Aegyptios, sorores eodem patre, eademque matre genitas, ducere potuisse, huc etiam referendum est illud, quod ÆMILIUS PROBUS nobis

refert

refert, e) Atheniensium moribus licitum, nec turpe fuisse, sororem germanam in matrimonio habere. Eodem modo etiam res se haberet, quando v. g. in aliqua republica adhuc floreret polygamia, Princeps vero ferret legem annullatoriam polygamiæ, tunc omni dubio careret, ad præterita quoque talem legem esse trahendam, ac uxores omnes præter unam dimittendas, utut hæ uxores ante hanc legem essent ductæ, cum de natura ejusmodi legis sit, actus jamdum patratos invalidos reddere, iisque omnem efficaciam adimere, uti supra hoc fusius evictum ac argumentis stabilitum fuit.

a) *in L. 8. C. de incestis ac inutilibus nuptiis.*
b) *Deut. 25. v. 5. Luc. 20. v. 28.*
c) *in peculiari dissertatione, quam cum aliis duabus 1722. edidit Vir Cel.* JO. GOTTLIEB HEINECCIVS.
d) *in notis ad legem modo citatam.*
e) *in* CIMONE *& proœmio vitarum.*

§. XXII.

Pariter quoque ex se & sua natura, licet nominatim lex id non caveat, ad præterita trahitur, tradente HVBERO, a) lex nova, prioris saltim declarativa, quem casum tanquam quintum huc referendum censeo, cum nimirum confectum sit, talem legem declarativam nil novi statuere, sed tantum casum hucusque dubium explicare, atque ostendere, quomodo intelligendus sit, ita e. g. dicitur, servitutem non debere per sententiam constitui, sed quæ ante est, declarari, b) hinc

hinc ſponte ſua ſequitur, præteritorum eandem debere eſſe rationem, quæ futurorum, ſiquidem mens ac voluntas Legislatoris in ferenda lege ſtatim fuit, quod ita ſit capienda, prouti nunc illam declaravit, ex quibus omnino colligitur, neminem poſſe legem declarare, quam ipſum ſummum Principem, legislatoria poteſtate inſtructum, ita ut exinde oriatur interpretatio avthentica, ut igitur hæc res eo melius pateat, uno alterove exemplo ipſam declarabo, v. g. vetus lex fuit, inter conjuges lucra & damna, durante matrimonio eſſe communicanda, dubitatum vero hucusque fuit, utrum hæc communicatio ipſo jure, utrum vero mediante ceſſione fieret, elapſo deinde aliquo temporis ſpatio lex lata eſt, quæ eam ipſo jure fieri determinavit, & declaravit, hujus legis ſententia vero ex poſt matrimoniis antea pridem contractis indiſtincte fuit applicata, referente SANDIO. c) Eodem modo res ſe haberet, quando Princeps legem tuliſſet, de hæreditate non aliter adeunda, quam mediante inventario, inde vero dubium eſſet ortum, utrum etiam liberi & hæredes ſui, hoc onere gravandi ſint, hanc ob cauſam Principem adeunt, ipſum interrogantes de ſenſu hujus legis, quo facto lex declarativa fertur, illos eximens ab hoc onere, tunc omnino etiam illi qui ante hanc legem declarativam, hæreditatem absque inventario adiiſſent, ſecuritatem nanciſcerentur, ac indiſtincte hoc privilegio fruerentur, ita ut nullum ipſis exinde metuendum ſit periculum.

a) *In prælectionibus ad ff. lib. 1. tit. 3. §. 10.*

b) *L. 8. §. 4. ff. ſi ſervitus vindicetur.*

c) *Lib. 2. tit. 5. def. 6. ab HVBERO. loc. cit. alleg*

§. XXIII.

Illuſtre hujus caſus exemplum in jure Romano quoque deprehendimus, quod nobis ſuppeditat imperator noſter JVSTINIANVS, a) qui liberos ante ſubſequens matrimonium natos pari cum poſtea natis, ac aliis legitimis fortuna donavit, idque in triplici lege, b) unde dubium ortum ac diſceptatum fuit, an jus illud & iis proſit liberis, de quibus antequam lex hæc promulgata, diſceptatum fuit in judicio, cum jura futuris alias dent formam negotiis, c) hunc ſcrupulum ut adimat imperator JVSTINIANVS, ſanxit, ut pendentes de naturalibus ante natis, controverſiæ, menſuram ſuam petant ex hactenus latis ac publicatis legibus, d) nullo attento diſcrimine, utrum pater mortuus ſit, an vero adhuc in vivis argat, niſi decreto vel transactione lis ſit ſopita, idque ob favorem liberorum, & honorem matrimonii, qui favor tantus eſt, ut multis adhuc inſuper ab imperatoribus affectus ſit beneficiis, e) hoc igitur modo declaravit legem ſuam imperator JVSTINIANVS, & inſimul expreſſe cavet, illam ad præteritos nondum tamen deciſos caſus, eſſe trahendam, quod, licet non ſit factum ac clare expreſſum, nihilo tamen ſecius, effectus hujus legis ad præterita ex ſe & ſua natura trahendus fuiſſet, uti §. antecedente evictum.

a) *Novell. 19. cap. 1.*
b) *Scilicet in L. 10. & 11. C. de naturalibus liberis, & cap. ult. Novell. 12.*
c) *L. 7. C. de legibus & conſt. princ.*
d) *Præſertim cap. ult. Novell. 12.*
e) *L. 8. C. de Repudiis.*

§. XXIV.

§. XXIV.

Sextus casus ex doctrina cel. WOLFII a) est, quando actus ante novæ legis promulgationem suscepti, facili negotio possunt mutari, hoc igitur in casu similiter lex ad præterita trahenda erit, utut expresse id in illa non contineatur, actus vero facili negotio possunt mutari, quando subjectis vel plane nullum, vel exiguum hoc ipso infertur præjudicium, ex quo omnino sequitur, naturam ejusmodi legis esse, ut præterita quoque comprehendat negotia, cum enim supra fuerit ostensum, ea propter regulariter legem non esse ad præterita trahendam, quoniam eoipso subditis damnum inde emergeret, atque actus perpetrati sine maximo præjudicio non possent rescindi, ita econtra quando cessat ejusmodi præjudicium, tunc etiam ejusmodi lex actibus jamdum patratis formam præscribere poterit, cessante enim caussa, cessat & effectus. Objicere quidem hic aliquis posset, quod factum infectum fieri nequeat, & quod actus semel patrati nunquam possint revocari, sed hæc objectio facile potest dilui, quando animadvertimus, tritissimum illud, quod omninum ore circumfertur axioma: omnis actio æstimanda est ex intentione atque scopo, quem agentes in faciendo habuerunt, sibique proposuerunt, & sic in dubium quidem vocare non possum, ipsam actionem jamdum commissam, non posse rescindi & revocari, intentio tamen committentis illam actionem revocatur atque rescinditur. Exemplo res fiat clarior, ponamus igitur casum, huc usque licitum fuisse unicuique in republica, victu & amictu pro lubitu, etiam pretiosissimo uti,

ita ut non obſtet lex ſumtuaria, cohibens hunc luxum in veſtimentis ac cibis, deinde vero fertur lex a Principe, modum ac limites ponens, ac unicuique pro dignitate præſcribens, quibus veſtimentis quibusque cibis uti debeat, illi igitur, qui jamdum ſibi comparaverunt veſtimenta, ipſis ſecundum hanc legem noviter latam non competentia, illis abſtinere debent*, quo ipſo deſtrui ac revocari illorum intentionem ac ſcopum, quis eſt, qui non videat? in comparandis enim hisce veſtimentis intentionem habuerunt, iis tamdiu utendi, quamdiu eſſent integra ac utenda, hæc vero intentio nunc revocatur atque reſcinditur, licet actus, quo ſibi comparaverunt has veſtes, non poſſit infectus fieri, nullum etiam fere ipſis hoc modo infligitur damnum, dum veſtes prohibitas, vel poſſunt aliis deſtinare uſibus, vel vendere, vel etiam in aliam formam redigere, hoc pacto igitur nihil iniqui per talem legis ad præterita retrotractionem patrari, omni dubio caret, cum nemo jure ſuo quæſito privetur.

a) *In inſtitutionibus jurisprudentiæ naturalis part. 1. cap. 2. §. 8.*

§. XXV.

Quando lex nova jus vetus confirmat, ipſa pariter natura ejusmodi legis importat, ut ad præterita trahatur, quod etiam docet PHILIPPI, a) qui caſus ſeptimum locum hic occupabit, cum enim confirmatio ſit juris prius habiti corroboratio, b) ita exinde valide colligitur, effectum illius ſe ad præterita extendere debere, eo modo ut negotia jamdum peracta, de quibus tamen adhuc dubium fuit, utrum poſſint ſubſiſtere, eo ipſo omni dubitatione carere incipiant, ex

ad-

addduſtis igitur patet, corroborationem ſeu confirmationem ſemper præſupponere aliquod jus jamdum adeſſe, qui enim confirmat aliquid, is non cenſetur dare, c) ſed datum corroborare, ſic e. g. in jure Romano proviſum eſt, ne valerent donationes conjugum inter vivos, d) nihilominus tamen hæ donationes, ſi ante mortem non ſint revocatæ, per mortem donantis confirmantur, e) & ſic effectus hujus legis ad præteritas donationes extenditur, illasque validas reddit.

a) *In uſu practico Inſtitutionum lib. 1. tit. 2. §. 6. Eclog. 16. num. 16.*

b) *Cap. inter dilectos 6. X. de fide inſtrumentorum.*

c) *L. ſi donatæ §. ſi ſponſus ff. de donat. inter virum & uxorem.*

d) *L. 1. ff. de donationibus inter virum & uxorem.*

e) *L. 25. C. de donat. inter virum & uxorem.*

§. XXVI.

Rem ipſam poſtulare, legem novam, abuſum veteris tollentem, præteritis applicandam eſſe negotiis, unicuique, cui eſt mens ſana in corpore ſano, facile poterit perſuaderi, quem caſum ex mente ſupra laudati PHILIPPI a) octavo loco hic referam. Abuſus legis autem in eo conſiſtit præcipue, quando legi alia mens affingitur, a ſubditis, quam re vera legislatoris in illa ferenda fuit, hoc modo, ut actus intentioni illius plane contrarii, a ſubditis committantur, ejusmodi legem omnes tales actus contrarios, per abuſum patratos tollere, exinde patet, quod per rerum naturam aliter fieri non poſſit, ut tollatur abuſus, niſi per reſciſſionem ejusmodi negotiorum, per abuſum legis commiſſorum. In alia omnia vero tunc eundum eſſet, quando lex ſolummodo provideret, ne impoſterum amplius tales

les abusus committantur, a qua lege toto cœlo differt lex tollens abusum, quo modo enim poterit lex abusum tollere, qui nondum adest, ac nondum commissus est, ex quibus omnibus prono fluit alveo, ejusmodi legem ad præterita esse applicandam.

a) *In usu practico Inst. lib. 1. tit. 2. §. 6. Eclog. 10. n. 16.*

§. XXVII.

Ut hæc res eo melius pateat, exemplo illam declarandam duxi, fingamus igitur, Principem legem tulisse, permittentem unicuique de rebus suis liberam disponendi facultatem, subditi vero hoc jure concesso, adeo abuterentur, ut perdant omnia bona, ac exuant se suis patrimoniis, ita ut ad incitas redigantur, deinde vero ferret Princeps legem, omnes abusus hosce tollentem, hoc ipso omnes actus tali modo abusivo commissi rescinderentur, cum ipsi reipublicæ intersit, subditos habere bonis instructos, utpote sine quibus respublica nec conservari, nec defendi potest, ita ut talis immensa prodigalitas pro facto naturaliter turpi, & contra omnem honestatem suscepto, ac in præjudicium reipublicæ vergente merito habenda sit, expedit enim reipublicæ, ne re sua quis male utatur a) quæ regula in statu civili omnino tradente Ill. BOEHMERO b) recipienda fuit, ex qua etiam jus declarandi prodigos natum est, hoc igitur modo, omne quicquid a talibus prodigis ante legem abusum tollentem alienatum, ac ad alios pervenit, & revocari potest, revocatur, cum alias reipublicæ pereundum sit.

a) *§. 2. Inst. de his qui sui vel alieni juris sunt.*
b) *In notis ad hunc §phum.*

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Ultimo denique loco ipſa natura rei etiam poſtulat, ut ad præterita negotia trahatur lex revocatoria, quæ jus aliquod, quo quis jam potitus eſt, iterum certis ex cauſis aufert ac eripit, cujus rei multa in jure noſtro occurrunt exempla, brevitatis gratia tria tantum adducam, ſic e. g. conſtat, illum qui doloſe occidit defunctum, non poſſe retinere legatum, a) idem etiam eſt dicendum de eo, qui temere impugnat defuncti voluntatem, b) denique etiam ille, qui in ingratum contulit donationem, eandem revocare poteſt. c)

a) *L. 7. §. 4. ff. de bonis damnatorum.*
b) *L. 8. §. 14. ff. de inofficioſo teſtamento.*
c) *L. 10. C. de revocand. donat.*

§. XXIX.

Dantur vero præter leges, & alia negotia, quæ ad præterita trahuntur, de quibus etiam in jure civili multa proſtant exempla, ita e. g. conſtat, omnia quæcunque a falſo procuratore, mandato carente, geſta ſunt, manifeſto nullitatis vitio laborare, a) nihilominus tamen hoc nullitatis vitium ſanatur ratihabitione, cum a falſo procuratore geſta, abſolute & ſimpliciter nulla non ſint, ſed in favorem ſolum ejus, cujus negotium citra mandatum ſuſcepit, non ſubſiſtant, ex quo certo certius colligitur, accedente hujus ratihabitione, omnia quæ in judicio peracta ſunt, robur ac valorem accipere, b) ratihabitio enim, utpote ſubſecutus conſenſus præcedentem defectum ſupplet, & ad principium cujuscunque actus retrotrahitur. c) Idem erit dicendum de jure poſtliminii, apud Romanos maximum uſum præbente, hodie vero ceſſante, idem etiam nonnulli

ſtatu-

ſtatuunt de ratihabitione nuptiarum invitis parentibus initarum, quos tamen ſolide confutatum ivit Ill. COCCEJI d) licet omnino in praxi aliud obtineat, ipſo fatente autore modo laudato, e) denique etiam talem fictionem retrotractivam multi ſtatuunt in legitimatione per ſubſequens matrimonium, quibus vero notam dixit Ill. BOEHMER. f)

a) *l. 27. pr. ff. de procurat.*

b) *vid. Diſſertatio Conſult. Dn.* HIERON. FRIDER. SCHORCHII *de Ratihabitione geſtorum a falſo procuratore hic Erfordiæ 1732. habita.*

c) *l. 16. §. 1. ff. de pignor.*

d) *in jure civili controverſo part. 2. lib. 23. tit. 2. quæſt. 5.*

e) *loc. cit. in fine.*

f) *in jure eccleſiaſtico proteſtantium tom. 4. lib. 4. tit. 17. §. 10.*

§. XXX.

Quamvis plurima adhuc reſtent, a themate hoc non aliena, nihilominus tamen perpendens, me diſſertationem academicam ſolum, non vero tractatum conſcribendum ſuſcepiſſe, hic vela contraho, benignum judicium lectoris exſpectans. Quæ autem tetigi, ut ordine pertractarem, nec ſine ſolida ratione, diligenter operam dedi, id vero me ubivis aſſecutum fuiſſe, minime mihi perſuadeo, cum homo ſim, & nihil humani a me abeſſe ſentiam, argumentum eſt ſpinoſum, in quo, cum nullus adhuc ex inſtituto laboraverit, ego unus non ero, in cujus elaboratione nihil deſiderari poſſit, his ergo ex rationibus adductis, veniam facile me impetraturum confido, qua impetrata eo feliciorem huic diſſertationi imponere poſſum

F I N E M.

(o)



NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO

DN. EVSEBIO CHRISTIANO ZINCKERNAGEL,

S. P. D.

PRÆSES.

Communis vitæ consuetudine in proverbium abiit: in tempore venire, omnium rerum optimum est; quin idem de literarum studiis affirmandum sit, nullus dubito, tempore enim uti nihil pretiosius, ita etiam illi non inservii sse, nihil tristius est. Probe hæc perpendens, NOBILISSIME DOMINE RESPONDENS, *nihil fecisti reliqui, nisi ut temporis moram, per biennium in Academia Lipsiensi, doctrina* B. GRIBNERI *&* *Illustris* RECHENBERGII *&* MASCOVII, *suffultus, per annum in Jenensi, doctrina Illustris* STRUVII *&* *Cel.* HEIMBURGII *adjutus, & per sesqui annorum spatium in hac perantiqua Erfurtensi Academia transactam ex prælectionibus Cel.* SCHORCHII *proficiens, optime collocares, ac tempus exemeres, exploratum nempe habes, leges quidem posse ad præterita trahi, tempus vero semel elapsum, nunquam redire. Quare morem gessisti monito Imperatoris* JUSTINIANI, *quando prima jurisprudentiæ elementa cupidæ legum juventuti dedicat; ac summa ope & alacri studio leges accepisti, non ut eas in transitu audires, in spem futuræ oblivionis, sed ut illas in sanguinem & succum verteres. Ad hunc finem obtinendum, nonsolum collegia aliorum juris Antecessorum sedulo frequentasti, sed meis quoque prælectionibus eadem assiduitate interfuisti. Nihil igitur nunc restat, quam ut publicum doctrinæ* TUÆ *specimen edas, illudque sub meo qualicunque moderamine defendas. Aggressus autem es tale thema, quod plane non, vel saltem minus plene adhuc est elaboratum, hinc omnes bonos in eo consentientes habeo,* TE *rem tuam in eligendo & elaborando hoc themate*

F *bene*

bene egisse, & ita quidem, ut hoc specimine probaveris, quantum aliquando de TVA *solidiori doctrina exspectare possit respublica. Hujus igitur speciminis felicem & eruditam in jurisconsultorum cathedra defensionem,* TIBI *ex animo apprecor, ut toto legitimo opere ita perfecto, possit etiam respublica, in partibus* TIBI *credendis gubernari. Quod reliquum est, fortunæ humanæ statori religiosissime supplico: velit* TIBI *porro adesse, consilia, conatusque* TVOS *in patriæ commodum,* EXCELLENTISSIMI PARENTIS *gaudium,* TVAM*que salutem auspicatissimo semper eventu probare; id unice in votis habens, velis me ulterius* TVO *dignari favore. Dabam in Academia Erfurtensi d. XXIV. Jul. M DCC XXXVII.*

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO JUVENI

EUSEBIO CHRISTIANO ZINCKERNAGELIO

J. U. CAND. DIGNISSIMO
FAUTORI ATQVE AMICO OPTIMO

S. P. D.

M. JO. NICOLAVS SINNHOLD, P. S.

JUrisprudentiam non in nuda tantum legum cognitione, sed in justa atque legitima earundem ad hominum actiones adplicatione, maxime consistere, apud omnes est in confesso. Idque nominis edocet notio; Prudentia enim juris denotat habitum & facultatem, tum leges rite declarandi, tum ad facta juste adplicandi unde & dicitur scientia juris practica. Facta autem, ad quæ adplicandæ leges, vel præterita sunt, vel præsentia, vel futura. Qua ratione ad præterita trahendæ sint leges, præsenti specimine publico uberius exposuisti. Laudandi itaque conatus TVI, *tum ob delectum, tum ob doctrinæ præstantiam. Argumentum enim in quo ingenii vires periclitari constituisti, ita præclarum est, ut &*

utilitate

utilitate, & gravitate, dignitateque ac novitate se facile omnibus commendet. Sed & patriæ & orbi litterario egregie demonstrasti, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Gratulor igitur labores feliciter exantlatos, & doctissimum industriæ TUÆ *specimen,* TIBI*que mox ad patrios lares redituro, omnigenam* DEI *gratiam adprecor, utque* DEO *ac Reipublicæ, pro insignibus animi dotibus, multum prosint studia ac labores* TUI, *ex animo voveo. Depproperabam Schwerborni, decimo die ante Cal. August. MDCCXXXVII.*

MEssem promittunt cultis cum moribus artes,
Sed quæ inculta jacent jugera, messe carent.
Nam qui virtutis, qui doctæ rura Minervæ
Excolit, hic fructus hujus & hujus habet.
Dat virtus famam, dat clarum nomen Apollo,
Dat Sophie meritis laurea serta comis.
Hic ager, hic seges est: TE commoda larga sequentur,
Et veniet segeti messis opima TUÆ.

Hæc gratulabundus in amicitiæ & observantiæ tesseram doctissimo hujus Dissertationis Autori adjicere voluit,

J. G. OSANN,
J. U. Licentiatus.

DEt Deus Omnipotens, ut possis vivere faustus,
Atque ut flet ventis aura secunda TIBI.

His paucis Nobilissimo juxta atque Ornatissimo Domino hujus Dissertationis Autori, de specimine hoc doctissimo ex animo gratulaturus, quævis prospera precatur

CHRISTIANUS LUDOVICUS
L. B. ab HESBERG.

Die

Die Freundschaffts-Pflicht, so mich Dir längst verbunden,
Die rufft mir zu, auf! setz die Feder an:
Betrachte nur den Tag, so sich heut eingefunden
An dem man singt, an dem man gratulirt,
Weil **Dich mein Freund**/ so Glück als Ehre ziert.
Wie! soll ichs thun? Wie! kan ichs unterlassen?
Beym Nachtigallen-Chor da müssen Schwäne passen.
Ich wünsche schweigend mehr, als wie ich schreiben kan.

Hiemit empfiehlet sich dem Hochgeehrtesten Herrn Autori zu beständigen gütigen Andencken
Desselben
gehorsamster Diener
JOH. JAC. FRIEDR. WOLFF,
Erfordia-Thuringus,
Opponens.

Die Themis krönet **Deinen** Fleiß
Mit vollen Seegen, Glück und Gaben;
Nun wirst Du bald, auf vielen Schweiß,
Nach Wunsche, die Belohnung **haben.**
Ich nehme selber Theil daran,
Ich wünsche alles was ich kan,
Ich lasse **Dir** mein Hertz und Flehen
Zu **Deinen** Glück und Wohlergehen.

Dem Hochgeehrtesten Herrn Autori solte hier zu seinem gelahrten Specimine Academico, aus schuldiger Ergebenheit gratuliren, ein alter Academischer Freund und Diener aus Leipzig
AUGUSTIN LUDWIG OSANN.

(o)



